



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XI. De Concurrentia Officij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

E. Id est, ordine, quo in Calendario præcedunt.

VIII. Festum Simplex nunquam transfertur, sed si de eo non fieri potest Officium, fiat commemoratio, ut dictum est in Rubrica de commemorationibus; si autem venerit in illis diebus, in quibus Simplici nulla fit commemoratio, *f.* eo anno fit de eo ampliùs.

F. Id est, in Duplicibus primæ Classis.

IX. Si aliquod Festum novem Lectionum, quo annotatum est fieri commemorationem alius Sancti, transferatur propter advenientem Dominicam, vel aliud Festum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in assignata, sed dicta commemoratio fit die suo in Dominica, vel die Festo, in quo fieri possit, cum non Lectione ejusdem, si propriam de vita Sancti habuerit: *g.* Festum verò novem Lectionum transfertur sine ulla ampliùs commemoratione Festi Simplicis prædicti. Quod etiam servatur in Commemorationibus occurrentibus in Vigilijs, cum de vigilia veniente in Dominica fit in Sabbato præcedenti; tunc enim commemoratio Festi Simplicis fit in Officio Vigiliæ, sed in Dominica.

G. Unde colligit Gavantus *f.* 3. c. 11. 34. si nona Lectione fit ex Communi Sanctorum desumpta, non esse dicendam in tali casu, uti in Festo S. Hermetis, quod in Festo S. Augustini occurrit, videre est.

TITULUS XI.

DE CONCURRENTIA OFFICII.

I. **C**oncurrentia Officij attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium consequenti die. Itaque cum die Officij

Officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis, cum sequenti in primis Vesperis. *h.*

H. Unde brevius dici potest Concurfus, quando duo Festa novem Lectionum se proximè sequentia eadem Vesperas exigunt.

II. Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti Duplici in primis, si utraque sint ejusdem Solemnitatis, regulariter *i.* fit à Capitulo de sequenti cum commemoratione præcedentis, nisi aliud in propriis locis annotetur. Si verò non sunt ejusdem Solemnitatis, servetur differentia in Rubricis de commemorationibus & translatione Festorum assignata, ut scilicet Festa majora habeant primas & secundas Vesperas integras cum commemoratione Minorum, quando de eis fieri debet. *k.* Si autem post aliquod Festum ex ijs, quæ in secundo ordine posita sunt in Rubrica de commemorationibus, sequatur immediatè aliud ex solemnibus Majoribus, Vesperæ erunt de sequenti cum commemoratione præcedentis. Inter Festa æqualis Solemnitatis servetur hic ordo, ut Festa Domini præferantur omnibus alijs, & habeant utrasque Vesperas integras; sicuti Festa B. MARIÆ, Festis Sanctorum. Item Festa Angelorum & Apostolorum ceteris alijs; & Festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis solemniter celebrantur, alijs in Kalendario descriptis.

I. Nam interdum ex speciali causa integræ Vesperæ uni conceduntur, uti in secundis Vesperis SS. Joannis & Pauli concurrentibus cum Octava S. Joannis Baptistæ 26. Junij videre est.

K. Uti fit, si Simplex aut dies infra Octavam cum Duplicibus per annum concurrunt.

III. Duplici verò concurrente cum Festo Semiduplici, cum Dominica, cum die infra Octavam cum Festo Simplici, & cum Officio B. MARIÆ Sabbato, omnia in secundis Vesperis fiunt de Duplici cum commemoratione illorum, *l.* nisi illud Duplex fuerit de ijs, quæ excipiuntur in Rubrica de commemorationibus, in quibus aliqua commemoratio omittuntur. *m.* Duplici etiam, & quocumque Festo novem Lectionum concurrente cum Feria, vel potius sequente Feria, omnia de Duplici, & nisi de Feria sequente. Sed si Festum celebretur in Adventu & Quadragesima, fit semper commemoratio de Feria, ut infra dicitur. Idem dicendum in Festis Simplicibus venientibus cum sequenti Festo novem Lectionum, de quibus etiam commemoratio fit non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.

L. Excipe casum, quo dies Octava cum Dominica privilegiata concurreret; in hoc enim casu, cum sequenti die Officium de Octava die fieri non posset, hoc ipso etiam Vespas haberi de illa non deceret, sed eadem vel de Dominica vel de Semiduplici antecedente usque ad Capitulum recitari deberent, ut notat Gavantus *l.* 3. c. 8. n. 13.

M. Uti sunt Duplicia primæ & secundæ Classis, de quibus supra dictum.

IV. Semiduplici Festo, Dominica, & die infra Octavam concurrentibus cum sequenti Duplice omnia de Duplici cum commemoratione illorum nisi Duplex fuerit ex numero Majorum, quæ supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt in quibus nulla fit commemoratio præcedentis. Semiduplici Festo concurrente cum alio Semiduplice sequente, cum Dominica, vel cum die infra Octavam

vam, à Capitulo fit de sequenti, & commemoratio præcedentis, nisi aliter signetur. Semiduplici autem concurrente cum sequenti Festo Simplici, vel cum Officio B. MARIÆ in Sabbatho, omnia de Semiduplici cum commemoratione sequentis.

V. Dominica concurrente cum sequenti Festo Semiduplici, & cum die infra Octavam, vel cum Festo Simplici, omnia de Dominica, *n.* cum commemoratione sequentis.

N. Hic meritò dubitari potest, cur, si Dominica concurrat cum Semiduplici antecedente, dividat Vesperas: si autem concurrat cum sequenti, integras habeat? & respondet Gavantus f. 3. c. 9. n. 7. id fortè factum, quòd secundæ Vesperæ magis à concursu Populi frequententur, atque adeò magis deceat de Dominica dici; Psalmi autem Sabbatini plùs ferialitatis, quàm festivitatis habeant, ideòque incongrui visi sunt, ut inter Dominicam & Festum Semiduplex intercederent; sed hæc ratio potius contrarium probaret, scilicet etiam in Sabbatho Psalmos Sabbati accipiendos esse, cum illi non ad Sabbathum, sed ad Dominicam pro primis Vesperis pertineant; & alioqui congruum videretur, ut, sicut alia Festa fori primas Vesperas integras plerumque habent, ita etiam Dominica habeat. Meritò ergo tota diversitas iterum in arbitrium Ecclesiæ refundenda est.

VI. Die infra Octavam concurrente cum sequente Dominica, vel Semiduplici, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octavæ. Dies Octava cum Simplici propriè non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici, nisi commemoratio, quæ & eâdem ratione in præcedenti die infra Octavam fieri debet.

VII. Die Octava concurrente cum alia die Octava, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis, exceptâ Octavâ Corporis Christi concurrente cum Octava S. Joannis Baptistæ, in

qua de sequenti fit tantum commemoratio; & quando aliter in propriis locis notatur. Die Octavâ concurrente cum sequenti Duplici minori etiam translato, à Capitulo fit de sequenti cum commemoratione Octavæ. *o.* Concurrente verò cum sequenti duplici Majori etiam translato, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavæ; exceptâ die Octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, & Corporis Christi, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio. *p.* Si autem sequens Festum, etiam translatum fuerit ex Solemrioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus in secundo ordine, n. 6. totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavæ. *q.*

o. Ob quam causam dies Octava, ut supra dictum est inter Majora duplicia non numeratur; quia licet in occursum præferatur Minoribus Duplicibus, non tamen etiam in occursum antefertur.

p. Eò quòd hæ Octavæ sint Festa Domini, quorum privilegium est, inquit Gavantus s. 3. c. 8. n. 23. ut aliis Duplicibus in occursum præferantur; sed cur non etiam ipsæ hæ Octavæ, si cum alia die Octava cujusdam Sancti concurrant integras habent Vesperas, sed omnes, exceptâ Octavâ Corporis Christi, dividunt Vesperas, ut in hoc ipso paragrapho dicitur? iterum ergo ad voluntatem Ecclesiæ recurrendum est.

q. Multò magis autem hoc fieri convenit, si sequens Festum sit ex Solemrioribus primi Ordinis.

VIII. Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis *r.*) quia non habet secundas Vesperas, sed ejus Officium terminatur Nonam, & deinceps nihil fit de eo, nec commemoratio. Si sequatur aliud simplex, Psalmi erunt de Festis occurrente in Psalterio ad Vesperas, & à Capitulo

lo fit de sequenti Simplici sine ulla commemoratio-
ne præcedentis. Si sequatur Officium novem Lectio-
num, Vesperæ totæ erunt de eo sine ulla commemo-
ratione Simplicis præcedentis. Si nullum Festum
sequatur, subintrat Officium de Tempore, & Vesperæ
totæ erunt de Feria.

R. Saltem ratione dimidiarum Vesperarum, quas & Sim-
plex, & Festum novem Lctionum exigunt, licet illud huic
cedere debeat.

IX. Feria non potest concurrere cum alio Offi-
cio in secundis Vesperis; neque cum ipsa potest esse
concurfus in primis Vesperis, quia ejus Officium in-
cipit, & desinit, ubi desinit & incipit quodcunque
aliud Officium. Quamvis propriè (si ei dandum est
principium) sequente Feria post aliam Feriam ejus
Officium incipiat à Matutino, & terminetur sequen-
te aliâ Feriâ ad Completorium; & ideo, si Feria se-
quatur aliam Feriam, in Vesperis præcedentis Feriæ
nihil fit de sequenti, quoad ea, quæ in sequenti Fe-
ria sunt propria. Verbi gratiâ, si in Vesperis Feriæ
tertiæ ante Feriam quartam Cinerum fiat de Feria,
dicitur Oratio Dominicæ præcedentis, non autem
ea, quæ est propria in sequenti Feria quarta Cine-
rum; nec ante Orationem dicuntur Preces, quæ di-
cendæ sunt in dicta Feria quarta Cinerum. Quod
etiam fit, quando Feria per annum præcedit Feriam
Quatuor Temporum vel Vigiliam. Hâc enim ratio-
ne superiùs dictum est in concurrentia aliorum Of-
ficiorum, cum Feria nullum Officium concurrere,
& nihil fieri de Feria præcedenti, adveniente alio
Officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat com-
memoratio in Vesperis, non fit ratione concursûs,
sed quia eo die, quo Officium Feriarum Adventûs

& Quadragesimæ impeditur, illarum commemoratio ratione Temporis ex præcepto Ecclesiæ præmitti non debet.

X. Cùm verò occurrit, ut Festum Simplex veniat in Feria quarta & sexta Quatuor Temporum, in Feria quarta Cinerum, & in Vigiliis, quibus jejunantur, Vesperæ antecedentes (nisi ea die celebratum sit Festum novem Lectionum s.) erunt in Feria communi per annum, non autem de sequenti ut dictum est, cum commemoratione Festi Simplicis in sequenti Feria occurrentis. Quod non debet fieri, quia sequens Feria habeat primas Vesperas, quia, cùm Festum Simplex in sequenti die non habeat Officium propter Feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit, illud habere primas Vesperas in præcedenti die. Et eadem ratione, Festum Simplex occurrat Feriâ quintâ in Cœna Domini, in qua de eo non debet fieri commemoratio nulla etiam fiet commemoratio in Vesperis Ferie tertiæ præcedentis. t.

S. Ex quo textu refutatur sententia Gavanti s. 3. c. 8. dicens, quòd si occurrat dies Octava in die xvii. Decembris, in pridianis Vesperis nihil de Octava fieri debeat, quòd sequenti die Officium de ea dicendum non sit; Refutatur, inquam, quia, licet dies Octava amittat jus suum primas Vesperas, non tamen etiam dies infra Octavam præcedens, utpote dies novem Lectionum, jus suum amittit ad secundas Vesperas, quæ proinde de illa dici possunt, & debent.

T. Ex quibus omnibus toto hoc Titulo claritatis gratia fusissimè dictis patet, omnia, quæ de Concurrentia duo Festa aut Octavæ inæqualis Classis concurrant, Vesperæ integræ digniori cedant; si verò æqualia concurrant, cedant Vesperas, exceptâ Dominicâ in secundis Vesperis & Semiduplici æquali, & Octavâ die Nativitatis, Epiphaniæ

Paschæ, & Ascensionis Christi, quæ æqualibus Duplicibus in concursu præferuntur.

TITULUS XII.

DE ORDINANDO OFFICIO EX PRÆDICTIS RVBRICIS.

I. **S**I quis velit ex supradictis Rubricis ordinare Officium occurrentis diei, videat in Kalendario, & in Tabula Festorum mobilium, *u.* de quo fiat Officium sequenti die, & ut invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis.

v. Quæ immediatè ante Kalendarium in Breviario posita est, & Tabula Temporaria Festorum mobilium vocatur, eò quòd ibidem indicetur pro singulis annis subsequenter, quo mense & die Festa quædam nulli certo mensi aut diei mensis affixa, puta Septuagesima, Dies Cinerum, Pascha, Ascensio, Pentecostes, Festum Corporis Christi ponantur.

II. Si ordinandum Officium sit de Tempore, id est, de Dominica vel Feria, recurrendum est semper ad Psalterium, ubi ordinatè ponitur, quod est commune Officij de Tempore, cum distributione Psalmorum; & ad Proprium de Tempore, ubi Lectiones & Responsorialia, quædam Antiphonæ & Orationes ponuntur, quæ desunt in Psalterio. Invitatorium, Hymni, Capitula, Versus, Responsorialia Brevia, & Antiphonæ, quæ diversis temporibus ponuntur in Proprio, dicuntur loco eorum, quæ sunt in Psalterio: *x.* cum verò Propria non fuerint, dicuntur, ut in Psalterio.

x. Unde hoc Proprium dicturo Officium, ab initio statim inspiciendum erit, nisi aliunde ipsi certò constet, nihil ibi Proprium contineri.

III. Si Officium sit ordinandum de Sancto, recurrendum est semper ad Commune Sanctorum